



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Christiana Et Docta Divi Alchimi Aviti Viennensis
Archiepiscopi, & Claudij Marij Victoris Oratoris
Massilie[n]sis, poëmata, aliaq[ue] non poenitenda**

**Avitus, Alcimus Ecdicius
Marius Victor, Claudius**

Lvgdvni, 1536

Capvt XIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12149

Iure potest; animus quam si corrumpat adulter,
 Ira, furor, mœror, liuor, discordia, luxus,
 Lingua duplex, cōstricta manus, laxata volūtas,
 Mœchantur cū corde hominis; tū semine mortis
 Fœtus mortis alunt, en quo perducitur omnis
 Nomine virginis quæ se dum iactitat intus,
 Criminibus grauidam nescit turgescerē mētem.

C A P V T X I X .

Ecce tibi è multis vnum quo cætera noscas
 Exemplū. Dominus plebē quū forte doceret,
 Peruigili cura supremo attendere fini,
 Cœlorum regnum quę Christi ecclesia sancta est *Matthæi. 25.*
 Virginibus sacro signatis Chrismate confert.
 Quarum quinq; ex his sapientia diues adornat,
 Quinq; alias stolido declarat inertia sensu:
 Quas dum sub noctem requies cōpletebitur vna
 Atq; obitum signans captiuat lumina somnus,
 Ecce autem medio taciturnæ in tempore noctis
 Perstrepuit subitus, rupitq; silentia clamor:
 Tandem sponsus adeſt, de corpore torpor inertii
 Abscedat, sapidæ raptim properate puellæ:
 Vnaq; quaç; suo procedat & obuiā sponso.
 Protinus exiliunt omnes, stratisq; relictis,
 Aptauere

Aptauere suas quæsito lumine flamas.
Sed tunc quinç quibus maior solertia menti,
Lampades accipiūt, oleū quibus addere sumptis
Sollicitudo fuit vasis, pinguiç liquore,
Ignibus armatis squalentē rumpere noctem.
At quæ neglectum liquit pars altera succum:
Incensos lychnos nequidquā sustulit; vnde
Emicat exiguus commotī luminis ignis,
Sed virtute carens languentē lampada feruor
Deserit, & siccām percurrit flamma papyrum.
Mox inter piceos nebulosa volumina fumos
Canescunt pigra crescentis mole fauillæ.
Ergo vt se indignas tali videre paratu
Quæ sponso occurrāt iam cōminus aduenienti:
His prece submissa prudentes vocib⁹ orant.
Iam nostræ inspicitis moribundo vt lāpades igne
Deficiunt, nisi vestra oleum dilectio nobis
Mutuet, extincto vitam quod præbeat igni:
Quod nisi torpentes adiutrix dextera flamas
Suscitet, æternū sponso excludente perimus.
Ergo agedum miseris oleum cōcedite nobis:
Finierant paucis, longas inhibente loquellas
Aduentu sponsi, ad quarum quæsita rogatæ
Respondent

Respondent sapidæ tali sermone sorores.

Est miseranda quidem vestrorum caussa malorū,

Sed tamen hoc oleū nō plus quàm sufficit affert

Vnusquisq; sibi constat, quia copia vasis

Et perfecta suum seruat mensura liquorem.

Nec fas quæsitum partiri aut perdere succum:

Ne dispersa cauis desint fomenta lucernis,

Quumq; lucrū vobis dispendia nostra pararint

Tota simul pereant extinctis lumina flammis.

Talibus afflictæ dictis, tristiq; repulsa

Perlustrant quocunq; loci commercia feruent

Vænalesq; manus: sed dum disceditur, ecce

Introijt sponsus thalamum, induxitq; paratas.

Dimittensq; vagas exclusit clausa sorores

Ianua, nec tandem redeentes excipit intro.

Virginei ecce vides quàm vanū nomē honoris

Ni fertur sanctus thalamis cœlestibus ignis.

Fœlix illa manus largis quæ prouida donis

Accensum pura fouit pinguedine lumen:

Tantum namq; olei vasis infunditur amplis

Quantum quis miserans misero porrexit egeno.

Hinc dominus cunctos ardentes ferre lucernas

Admonet; hoc opus est hæc claræ gloria vitæ.

I Suppetat